

Vos quidem omnes, patrem, te fratremque, diximus 20
 opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi
 a fine Aufidii. Vbi sit ea, quaeres. Iam pridem
 peracta sancitur et alioqui statutum erat heredi
 mandare, ne quid ambitioni dedisse uita iudicaretur.
 Proinde occupantibus locum faueo, ego uero et
 posteris, quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi
 fecimus cum prioribus. Argumentum huius stomachi 21
 mei habebis quod in his uoluminibus auctorum
 nomina praetexui. Est enim benignum, ut arbitror, et
 plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris,
 non ut plerique ex iis, quos attigi, fecerunt. Scito 22
 enim conferentem auctores me deprehendisse a iura-
 tissimis ex proximis ueteres transcriptos ad uerbum
 neque nominatos, non illa Vergiliana uirtute, ut
 certarent, non Tulliana simplicitate, qui de Repu-
 blica Platonis se comitem profitetur, in Consolatione
 filiae « Crantorem », inquit, « sequor », item Panae-
 tium de Officiis, quae uolumina ediscenda, non
 modo in manibus cotidie habenda, nosti. Obnoxii 23
 profecto animi et infelicis ingenii est deprehendi in
 furto malle quam mutuum reddere, cum praesertim
 sors fiat ex usura.

Inscriptionis apud Graecos mira felicitas : Κηρίον 24
 inscripsere, quod uolebant intellegi fauum, alii